



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

3tia. Christus se ità nobis familiarem exhibendo omnem ad se rapit
confidentiam, & vinculo pacis homines in se unit.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

meæ cibum , quo confortatus per desertum mundi hujus ambulans perveniam ad montem Dei non jam Horeb ut Elias , sed cælum. Et quia cibus hic divinus *Mors est malis vita bonis*, unde *paris sumptionis utique est dispar exitus*. Cum tua gratia non sumam illum nisi in tua gratia in vita & morte. Et hinc frequenter etiam spiritualiter , vivâ fide, desiderio te fruendi , & corde contrito illum delibo , & modo sumo, qui vivis & regnas &c.

3tia Visitatio.

Christus se ita nobis familiarem exhibendo omnem ad se rapit confidentiam , & vinculo pacis homines in se unit.

O Domine qualis tua benignitas , dulcedo & stupenda familiaritas ! quid est homo, quod ita erga eum apponis cor tuum ? invitas nos, ut veniamus ad te , manducemus te. *Dixerunt viri tabernaculi , quis det te carnibus ejus ?* Et ne terreamur apparitione tremendæ Majestatis tuæ , sub speciebus panis & vini horum quoque sapore relicto instar cibi & potûs suaviter in nos influis ; ut ed magis animemur ad te frequenter sumendum cum summa erga te confidentia , & ut in te nos invicem ut æquales in Cœna magna , quam amor tuus infinitus nobis apparavit , convivamus amplectamur & amemus. O Domine , crescat confidentialis amor erga te , & unio convivarum erga se in te. *Ecclesia tua quesumus Domine caritatis & pacis dona concede, quæ sub oblatiis muneribus [quorum unum*

ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis azimis confluit] mysticè designantur.

Per D. N. J. C.

4ta Visitatio.

Christus in Eucharistia multis bonis nos replet.

O Domine, verè non est alia natio tam grandis ac gens Romano-Catholica, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades illi, eamque cibis pretioso corpore ac sanguine tuo. Nauseat anima mea super cibo isto levissimo, quem sub specie fallacis mannae mundus præbet. Fel, venenum, mors in olla est, è qua porrigitur. Detestor perfecto contrito corde, quòd id unquam degustarim. Ecclesia tua sancta docet nullum cibum Eucharistico salubriorem esse, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Nec tantùm te dignè sumentem ita benefacis, sed & vivis proficit & defunctis incruentum hoc Altaris Sacrificium velut salutaris hostia Deo Patri oblata. Ut omnibus teste S. Ecclesia tua profit, quod est pro salute omnium institutum. Omnibus ergo bonis per te in Eucharistia repleti sumus mi Jesu. Et quid dabimus tibi? sume non dimidium ex omnibus, ut olim Tobias dicebat Raphaeli, quæ per te mihi allata sunt. Sume omnia mea, sume corpus & animam, cor cum omnibus, quæ dedisti. Hæc tuo servitio dedico. Da ut debitè te semper redamem, jube quod vis, & da, quod jubes. Benedic animæ meæ, & his NN. Vivis, his NN. Defunctis,